



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXXIII. Vtrùm concursus praeuius constituat causam secundum in actu
primo, vel compleat virtutem eius ad agendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

bebit locum, etiam ſi illa præmotio intrinſecè terminetur ad qualitatem, quia illa qualitas dicitur eſſe quaſi tranſiens, & omnino actualis, quæ per illammet actionem, ſeu præmotionem, qua ſit, applicatur etiam virtualiter ad operandum, cum virtute cauſæ ſecundæ, vel applicandam illam adagendum, vel quippiam ſimile.

Et ita etiam ad ſecundum dicitur, quod licet hæc præmotio ſit qualitas, non aliter complet vel applicat cauſam ſecundam ad agendum, quam ſi eſſet tantum motio, vel e contraſi ſi ex neceſſitate talis qualitatis ſequitur cauſam ſecundam carentem aliqua qualitate non eſſe ſimpliciter ſufficientem ad agendum. Idem certè ſequitur ſi præmotio ſit neceſſaria, & non detur, cuiuſcumque rationis, vel entitatis ſingatur eſſe talis præmotio, quia vt non ſit ſimpliciter ſufficientis, ſatis eſt, quod aliquid neceſſarium ad agendum deſit, & non habeatur, neque haberi poſſit quod argumentum ſepius in ſequentibus vigeamus, præſertim in cauſis libris. Nunc autem ſolum concludimus argumentum illud, non magis probare præuium concurſum non eſſe qualitatem, quam non eſſe aliquam veram entitatem. Inductio vero quæ ibi additur, non eſt integra, nam licet prober illum concurſum non eſſe habitum, neque poſſibilem qualitatem permanentem, non probat quaſi eſſe tranſeuntem qualitatem ad modum impulſus, vel certè ſi in aliqua cauſa ſecunda non creditur poſſibilis talis qualitas natura ſua tranſiens, quæ non ſit actus vitalis, vt in ſpiritualibus eſt probabile, multo erit impoſſibilior motio tranſiens ſine vilo termino quicquid illa ſit, & tranſeat.

Ad confirmationem autem de concurſu ſimultaneo, facile negabitur conſequentia, quia concurſus ſimultaneus eſt in genere actionis, habetque eundem terminum cum actione cauſæ ſecundæ. Concurſus autem præuius eſt actio vel paſſio diſtincta ab actione cauſæ ſecundæ, & ideo ſuum terminum habere debet, qui non poteſt eſſe niſi qualitas. Et ita ſuppoſito tali concurſu præuius, multo probabilius eſt non conſiſtere in pura motione, vel præmotione, ſed eſſe talem præmotionem quæ qualitatem aliquam cauſæ ſecundæ imprimat, quod ex dicendis magis confirmabitur.

CAPVT XXXIII.

Vtrum concurſus conſtituat cauſam ſecundam in actu primo, vel complet virtutem eius ad agendum.

In hoc capite alia duo dicta de hoc concurſu tractanda ſunt, quæ ad totam hanc materiam intelligendam ſunt in primis neceſſaria. Primum, ſeu nonum in ordine eſt, an hic concurſus præuius detur cauſæ ſecundæ ad conſtituendam illam, vel ſaltem complendam in actu primo, vel potius per modum actus ſecundi, quod aliter interrogari ſolet, an ita detur, vt teneat ſe ex parte cauſæ ſecundæ, cuiusque virtutem compleat ad agendum, vel potius ſe teneat ex parte actus ſecundi, & ſit quaſi inchoatio eius. In hoc enim puncto valde inter ſe diſſentunt defenſores huius influxus in cauſam.

Prima opinio eſt, hunc concurſum tenere ſe ex parte cauſæ ſecundæ, ei que dare complementum actus primi, ſeu virtutis agendi: ita tenet Cabrera dicta queſt. 18. art. 4. diſp. 6. dub. 1. n. 59. & hanc ſententiam tenet etiam Aluarez locis infra citandis, eamque defendere multos doctiſſimos Thomiſtas reſert Ledefma, & ipſe probabiliter reputat, pluriſque rationes in fauorem eius adducit, quæ non

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

ſunt diſtinctæ ab his, quæ in cap. 27. ad perſuadendum hunc concurſum præuium adduximus. Fundamentum huius ſententiæ videtur, quia hic concurſus præuius datur cauſæ ſecundæ in ordine ad actionem, & non eſt influxus in ipſam actionem cauſæ ſecundæ, vt ſupponitur, ergo eſt influxus in cauſam ſecundam, & actiua eſt, quia aliàs non daretur in ordine ad actionem, ergo datur illi vt qualitas, vel motio actiua, cum ad agendum detur, ergo datur per modum actus primi, quia omnis actus, qui non eſt ipſa actio, vel terminus eius, & ad agendum datur, eſt actus primus.

Vnde etiam concluditur, per hunc concurſum compleri cauſam ſecundam in virtute agendi, hæc enim motio non dat cauſæ ſecundæ totam virtutem etiam in virtute agendi, ſeu intrinſecam actiuam in ſuo ordine, vt omnes ſupponunt, & latè probat D. Thomas 3. contra gent. c. 69. & 70. q. 7. de potent. art. 7. nec etiã talis motio dat virtutem cauſæ ſecundæ ad agendum, aliàs ſuperflue daretur, & non daretur illi vt qualitas actiua, ergo datur vt formaliter conferat ſaltem complementum virtutis actiue. Et confirmatur ex alio fundamento illius ſententiæ, quod cauſa ſecunda non habet virtutem principalem, etiam in ordine ſuo ad dandum ſuo effectui eſſe exiſtentia, ſed per hunc concurſum præuium recipit virtutem inſtrumentariam Dei ad dandum eſſe exiſtentia effectui ſuo, ergo hæc motio conſtituit cauſam ſecundam in actu primo completo ad dandum eſſe exiſtentia, & quoad illam complet virtutem eius. Tandem confirmatur ex D. Thoma 3. contra gent. c. 6. ration. 4. dicente, Complementum virtutis agendi ſecundæ eſt ex virtute agentis primi, idemque ſentit in dicto art. 7. de potent.

Aliorum vero ſententia eſt, hunc concurſum præuium non eſſe qualitatem conſtituentem cauſam ſecundam in actu primo, ſiue dando totam virtutem agendi, ſiue complendo illam in actu primo conſummato, ſed ſolum eſſe inſtrumentariam virtutem Dei applicantis, & mouentis cauſam ſecundam ad agendum, hanc opinionem probabiliorẽ, & ferè certam eſſe iudicat Ledefma ſuprà, & in diſp. de elect. ad glor. dub. 2. §. ad impugnationem, imò addit eam tenere communiter diſcipulos D. Thomæ, & alios grauiffimos Doctores, & videtur ſequi ex his, quæ dicit Aluarez diſp. 19. in quarta & quinta probatione tertiæ conſolutionis, quamuis idem auctor in eadem diſp. ad 2. confirmationem eius, & in diſp. 18. ad primum, & in diſp. 21. nu. 7. expreſſe fateatur hoc auxilium præuium, ſeu complementum virtutis operatiue actus primi, & non eſſe actionem cauſæ ſecundæ, nec formaliter, nec realiter, ſed aliquid præuium ad illam. Solum ergo contendit non eſſe qualitatem actiuam, ſeu conſtituentem, aut complementum actum primum. Probatur autem hæc ſententia primò, quia cauſæ ſecundæ habent virtutes completas actiuas ſuorum propriorum effectuum, vt ignis caloris, Sol luminis, habitus charitatis ſui actus, & ſic de aliis, ergo non indigent complemento virtutis, aut actus primi, non ergo ad hoc eſt neceſſarius concurſus præuius. Secundò quia ſuperfluum eſt multiplicare tot qualitates actiuas, ad hoc vt cauſa ſecunda conſtituatur completè in actu primo. Tertiò, quia aliàs cauſa ſecunda ſic conſtituta in actu primo per illam qualitatem indigeret alio concurſu præuius, quod reduceretur de potentia in actum agendum: nam, vt ait D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. quantumcumque cauſa ſecunda ſit perfectæ in actu primo, indiget motione primæ cauſæ, & ratio eſt, quia actus primus ſolum eſt in potentia ad actum ſecundum, ergo cauſa completa per illam qualitatem, adhuc eſt tantum in potentia ad agendum, ergo indigebit alio præuius concurſu, quo actualiter moueatur, & applicetur, vt agat, & ſic vel procedatur in infinitum, vel liſtendum eſt in ipſo auxilio

auxilio pręuio, vt non detur ad complendā virtutē, sed tantum ad applicandam, & mouendam virtutem completam causā secundā ad actūalem operationem. Quartō, quia aliās in operibus liberis, præsertim bonis, homo, qui non reciperet hoc complementum virtutis actiue, non haberet simpliciter potestatem ad agendum, & sic non imputaretur ei non agere, aut non velle, quod dici non potest.

Et hinc inferunt istum concursum pręuium non tenere se ex parte principij proximi actionis, vel effectus causā secundā, neque etiam ex parte actus secundi, seu actionis causā secundā, sed esse veluti quoddam medium inter vtrumque actum. Primum parer, quia quidquid se tenet ex parte principij actiui siue constituendo, siue complendo illud, pertinet ad actum primum, vt cum proportione videre licet in specie visibili, vel in habitu, & similibus; ergo secundum satis est in dubio tertio, & sequentibus, quia hic concursus pręuio totus est a solo Deo, & in re est omnino distinctus ab actione, & effectu causā secundā, ergo nullo modo pertinere potest intrinsecē ad actum secundum causā secundā, ita vt sit aliquid illius, vel eius inchoatio. Et inde concluditur pars tertiā. Insufficienti artū enumeratione, & explicatur in hunc modum, quia hic concursus, cum sit vltima motio primæ causę, partim respicit, & actualiter iuuat actum primum ipsius causę secundę, non quidem dando illi vim agendi, sed mouendo illum, & actualiter ad opus applicando; ita vt efficaciter illum faciat operari: partim respicit actum secundum, quia cum illo immediatē, & necessariō coniungitur, & ita est quasi nexus inter actū primū, & secundū, & ideo dicitur quali mediū inter illā duo extrema ab vtroque distinctū.

Hoc ergo modo inter se pugnant huius pręuij concursus defensores, neque sine merito, nec sine magna rationū efficacia, vnde (vt ita dicam) inter eos bellum iustū geritur data hypothesi, de necessitate concursus pręuij, in qua inter se cōueniunt. Ex ultimo tamen rationib⁹ vtriusque partis simul sumptis hypothesim illam euerti, & talem præmotionem in causā secundā necessariā non esse sufficienter cōvinci, quia nec actus primus, nec secundus esse potest, nec inter hæc mediū conuenienter potest cogitari.

Non possumus autem resolutionem huius dubij, discursum ad eam ostendendam necessariū exactē complere, ac declarare, nisi prius aliud dubium de modo quotalis concursus pręuius ad actionē causę secundę concurrere cogitatur, vel cogitari potest, expediam. Et ideo de hoc puncto dicam prius, postea ad præcedens reuertar.

Decimo ergo inquiritur, an hic concursus pręuius concurrat effectiue ad actionem, & effectum causę secundę, tanquam principium per se, an solum tanquam conditio necessaria, quæ sit veluti causā per accidens. In quo puncto authores primæ sententię tractatę in præcedenti dubio, aperte supponunt motionem pręuiam per se & propriē efficere cum causā secundā effectiue, imo, & actionem eius, & ideo dicunt dari per modum principij, & actus primi, respectu actionis causę secundę. At vero iuxta alteram sententiā ibidem tractatam videtur potius dicendum illam pręuiam motionem esse quandam conditionem necessariā ad actionem causę, & non aliter concurrere propriē, & per se ad illam; ita enim facili intelligitur, non esse actum primum, nec secundum, sed medium quoddam, quia est conditio, quæ inter illos actus necessariō intercedit.

Deinde potest hoc suaderi. Primō, quia illa præmotio in agentibus ex necessitate naturę solum requiritur, vt per illam ap. licet vt vltimatē, & quasi intimē causā secundā ad agendum, vt ita moueat mota, quia aliter mouere non potest: applicatio

autem agentis ad agendum solum videtur esse conditio necessaria ad agendum, non principium per se, vt constat in applicatione ignis, & in motibus celorum, & instrumentis artis, vel aliis locis, de illis tractando, latē declarauimus. Ergo idem dicendum est de illa applicatione, quia non possumus nos iudicare de applicatione illa, quam sensibus non experimur, nisi iuxta illas, quas experimur, nec assertores illius applicationis aliis exemplis illam nobis declarant.

Secundō, quia ille pręuius concursus non creditur agere, & influere in effectum causę secundę, tanquam actio in intrinsecum terminum, nec tanquam forma, quæ det causę virtutem agendi, sed tantū per modum motionis; ergo non influit in effectum causę secundę tanquam principium per se. Antecedens quoad primam partem necessariō admitti debet a dictis auctoribus, quia ponunt distinctionem realem inter concursum, & actionem causę secundę, & saltem in agentibus naturalibus fatentur esse rem indubitatam: actio autem nō distinguitur realiter ab intrinsecum termino, & etiam ipsi fatentur, vt est principium quasi per se notum a Philosophia; ergo ille concursus non influit in actionem causę secundę, eo modo, quo actio in terminum intrinsecum. Quoad secundam verō partem supponitur antecedens iuxta opinionem secundā tractatā in præcedenti dubio. Consequentia verō probatur, quia non videtur posse intelligi alius modus influendi per se in effectum al quem, nisi aut per modum principij, aut per modum actionis intimę, & immediata ipsi termino: ergo tertius ille modus per modum motionis solum esse potest per modum causę per accidens, seu conditionis necessarię.

Denique non est hoc contra perfectionem influxus, & concursus primæ causę, quia iuxta istos auctores sententiā multis modis influit in actionem causę secundę, scilicet, dando virtutem agendi, conservando illam, applicando illam, & vtendo illa tanquam instrumento ad dandum effectum in virtute primæ causę ex quibus modis primus, & secundus respectu effectus causę secundę sunt per accidens. Ergo similiter in tertio modo licet Deus per se influat in causam secundam per se efficiendo in illa dictam motionem, per quam applicat illam ad agendum, nihilominus respectu actionis, & effectus causę secundę poterit illa applicatio esse necessaria tantum conditio. Nam in quarto includitur concursus per se causę primæ in effectum causę secundę, & ille sufficit, quia ea in vno genere causę primæ vna sufficit.

Nihilominus Ledesma in suo tractatu docet concursum pręuium concurrere ad operationem causę secundę effectiue tanquam veram causam ipsius, ita habet art. 6. ad 1. Et ad confirmationem sexti argumenti dicit potentiam per habitum eleuatam efficere actum per diuinam motionem, quæ causa est virtus diuina. Et art. 3. concl. 3. expressē dicit concursum pręuium non tantum requiri, vt conditionem necessariā, sed etiam vt concurrat, & causet ipsam operationem causę secundę. Addeque illam esse sententiā D. Thomę, & omnium discipulorum eius. Idem repetit art. 11. respondendo ad argumenta in principio. Et in vtroque loco me grauitate reprehendit, quod in Metaph. & lib. 3. de auxiliis dixerim aliquos Thomistas ponere illam præmotionem tantum vt conditionem necessariā.

Quod autem concurrat illa motio tanquam vera causā efficiens per se necessaria ad operationem causę secundę, ipse non probat, nisi quia vel Deus facit vt causā secundā operetur, vel quia illa motio vocatur influxus Dei, & virtus diuina ad agendum.

5. Vnde inferunt esse aliquid medium in actum primum, & secundum.

6. Ex hoc diffidio inferunt non esse necessariū pręuium illud concursum.

7. Huius dubij solutio potest ex alia quaestione.

8. Quæstio quomodo concurrat ad actionē & effectum causę secundę.

9. Videtur concurrere tantū per modum conditionis necessarię.

dum effectum cauſae ſecundae, quia verba non ſignificant tantum conditionem neceſſariam: ſed haec probatio parum vrget; tum, quia modus ille loquendi, ſicut *ut faciamus*, longe alium ſenſum habet in ſcriptura & Patribus, vt oſtendimus in libro quinto tractando de auxilio gratiae efficaci, ad quod maxime loquutio illa applicatur; tum etiam, quia iam dixi motionem eſſe poſſe per ſe à Deo mouentem cauſam ſecundam, & influere in illam, licet reſpectu effectus cauſae ſecundae, motio illa tantum eſſet neceſſaria conditio. Quod autem illa motio ſit virtus diuina ad agendum effectum cauſae ſecundae, affirmatur ab illo auctore, & aliis eiusdem ſententiae, non tamen probatur niſi forte argumentis factis cap. 27. de quibus poſtea dicemus. Vnde idem auctor in dicto art. 11. ad argumenta fauerit, prae-motionem quantum ad hoc, quod eſt, praeterminare cauſam ſecundam, ſolum eſſe conditionem neceſſariam, quia non dat (inquit) virtutem & efficaciam ad operationem; vtique ſecundum dictam conſiderationem, licet ſub alia, ſcilicet, & concurreret effectiue ad ipſum actum, ſit cauſa per ſe, quod an recte dictum ſit, ſtatim dicam.

Explicatio
magis leuiter
dilecti.

Pergit enim idem auctor, & dicit prae-motionem illam vt influere in actionem cauſae ſecundae, non diſtingui ab auxilio imbito in actione cauſae ſecundae, in quo libi contradicit, niſi intelligat influxum emanantem ab illo concurſu prauo non diſtingui ab actione creaturae, quod verum eſt; ab ipſo autem concurſu prauo neceſſe eſt realiter diſtingui, vt ſupra probatum eſt, ideoque dici non poſſet concurſum imbitum, v.g. in actu charitatis, non diſtingui ab auxilio prauo praeterminante, ſicut non poſſet dici non diſtingui ab habitu charitatis, vel à voluntate, vel à Deo, nam vnus, & idem eſt cum habitudine ad omnes illas cauſas, ſeu principia. quae omnia ideo aduerto, quia declarant ſatis quam obſcura, & implicata ſit haec ſententia, cum illius deſenſores, nec ſatis illam explicare, nec iuxta illam ſatis conſequenter loqui valeant. Vnde dictus auctor ſupra concludit, *hoc eſſe obſcurum myſterium fidei, quod eſt intellectui diſſicillimum*. In quo tamen cenſuram adhibet, ſupponens ſententiam ſuam ad fidei dogmata, & myſteria pertinere. Nos autem inter fidei myſteria hoc non agnoſcimus, maxime in generali puncto de concurſu prauo omnibus cauſis ſecundis neceſſario, quod punctum merè Philoſophicum eſt, & nullius myſterij fidei eſt fundamentum, & explicandum eſt, vt admitti debeat.

14.
Magis con-
ſequenter di-
citur illam
prae-motionem
non con-
currere ef-
fectiue.

15.
Non poſſet
explicari
neceſſitas
illius eſſe
tantis eſſe
primam
cauſam ef-
ficacem.

In hoc ergo poſteriori puncto ſuppoſita neceſſitate prauus influxus in cauſam, mihi videntur probabilis, & magis conſequenter loqui qui affirmant prae-motionem illam effectiue, & per ſe concurrere ad actionem cauſae ſecundae. Moueor praecipue, quia remota cauſalitate per ſe, nullam videro probabilem neceſſitatem talis conditionis, nec quomodo intelligi, aut explicari poſſit, nedum ſuaderi. In quo aduerto hoc nomen conditionis, ſine qua non, generale eſſe poſſe, & ſpeciale. Nam generaliter loquendo omne principium neceſſarium ad actionem etiam, ſi per ſe influat in illam, poſſet dici conditio neceſſaria, vt lumen, vel ſpecies ad videndum, & calor in aqua, dicitur etiam conditio neceſſaria ad calefaciendum, quia nomen conditionis de ſe eſt quali tranſcendens, quod de omni qualitate, proprietate, vel circumſtantia dici poſſet; ergo in illa generali ſignificatione, quicquid eſt neceſſarium ad actionem, poſſet dici conditio neceſſaria, ſeu, quod idem eſt, conditio ſine qua non. Auter tamen communis viſu Philoſophorum, ac ſubinde propria ſignificatione philoſophica conditio ſine qua non, habet ſpecialem ſignificationem, diciturque quali priuatiue de tali conditione, quae

cum neceſſaria ſit, per ſe tamen non influat in effectum. Vnde quoties aliqua forma, vel entitas eſt neceſſaria ad effectum propter cauſalitatem per ſe, quam in illum habet, non dicitur proprie conditio ſine qua non. Et in hac ſignificatione calor non dicitur conditio ſine qua non calefacit aqua, ſed dicitur eſſe principium per ſe calefactionis, ſine qua aqua non poſſet calefacere. Nec in calore poſſet diſtingui duplex ratio, vna ſub qua ſit conditio ſine qua non, in dicta proprietate, & alia in qua ſit principium per ſe influens in calidum, quia tota neceſſitas eius eſt propter actiuitatem, quam per ſe habet: poſſet tamen in illo diſtingui duplex cauſalitas, vna formalis reſpectu aquae, altera effectiua reſpectu alterius caloris, ſub neutra tamen dicitur proprie conditio ſine qua non, reſpectu calefactionis manentis, poſtea ab aqua calida, quia calor illam informans eſt illi eſſeſſarius, non vt quicumque conditio, ſed vt principium per ſe influens in talem calefactionem. Imò nec prior calefactio per quam aqua fuit calefacta, poſſet dici proprie conditio neceſſaria ad poſterioſiorem ab aqua calida manentem, ſed eſt via qua principium calefaciendi acquiritur, neque habet aliam rationem conditionis neceſſariae.

Sic ergo in propoſito cum proportionem philoſophandum cenſeo, nam ſi calor aquae indiget noua prae-motione Dei ad calefaciendum lignum, ipſa prae-motione conſiderari poſſet, vel reſpectu caloris aquae, in quo ſubieſtatur, vel reſpectu calefactionis ligni. Nam priori modo formaliter afficit calorem, ſeu aquam, vt calidam, & denominat illam motam, vel vltimate actuatam, vel aliquid eiusmodi. Imò in hac etiam prima habitudine poſſet influxus ille conſiderari, vt eſt in fieri, & vt ſic eſt mutatio quadam, & dicitur propria prae-motione aquae; conſequenter verò etiam habet aliquem terminum factum ſuo modo, iuxta dicta in dub. 6. & ſic eſt qualitas efficiens, & dans calori certum formalem effectum nobis innominatum, quia ignotus eſt ſecundum propriam rationem, & ideo generaliter denominabit prae-motam applicatam, vel alio ſimili modo, vt dixi. At verò reſpectu calefactionis manantis ab aqua calida, prae-motione illa habet habitudinem cauſae efficientis, ſeu principij neceſſarij, vt aqua calida actu calefaciat, iuxta illam ſententiam.

Dico ergo prae-motionem illam ſecundum hanc poſterioſiorem habitudinem non poſſe habere connexionem neceſſariam cum actione cauſae ſecundae, niſi ſit neceſſaria ad per ſe influendum in illam. Quia ſi talis prae-motione ſub priori ratione conſideretur, nimirum, vt formaliter afficit, vel immutat cauſam ſecundam, non poſſet eſſe illi neceſſaria ad agendum, niſi talis prae-motione ſit etiam effectrix proprie, & per ſe actionis cauſae ſecundae, & propter talem efficientiam ad effectum cauſae ſecundae ſit neceſſaria. Nam ſecluſa hac habitudine, nulla ratio neceſſitatis in tali prae-motione reſpectu actionis cauſae ſecundae cogitari poſſet, non eſt enim ſatis dicere eſſe conditionem neceſſariam, niſi neceſſitas illa declaretur, cuiusque ratio aliqua proferatur, quod haecenus à nullo deſenſore illius opinionis factum inuenio. Et niſi fallor, hoc probat efficaciter diſcuſus à me factus in lib. 1. de Auxil. cap. 6. vbi oſtendi nec per nomen applicationis, nec prae-motionis, aut excitationis talem conditionem, aut neceſſitatem eius explicari poſſe. Solùm inuenio datum eſſe poſtea diſtinctionem de duplici applicatione, vna eſt extrinſeca, quae in corporibus ſit per localem propinquitatem cum ablatione ſenſibilium impedimentorum: in potentiis verò animae ſit per obiecti propoſitionem, aut cogitationem, & de hac dicuntur proce-

14.
Quod ex-
plicatur
amplius in
calore aque
calefacien-
tis.

15.
Idem appli-
catur in
hoc caſu a-
ctionis cau-
ſae ſecundae.

dere omnia, quæ de applicatione ibi dixi, quia propter illam non ponitur esse necessaria hæc præmotio primæ causæ. Alia verò applicatio dicitur intrinseca, & quasi immediata inter facultatem actiuam, & actionem suam, & hæc dicitur necessaria omnibus causis secundis prius natura, quam eliciant actionem suam, & solum fieri posse à causa prima.

16. Verumtamen si propriè de applicatione physica, & reali loquamur, non intelligitur propriè nisi inter res existentes: ad rem autem futuram non fit, nisi per propositum, vel destinationem animi. Applicatio ergo causæ secundæ in actu primo constituitur ad actionem suam, si intelligatur esse tamquam ad rem iam existentem, non fit nisi agendo, ac subinde eliciendo actionem ipsam, ideòque formaliter non fit, nisi per actionem ipsam, hæc per se ipsam fit, in quo eius esse consistit, & ideo sicut ipsa non applicatur agenti (ut iudicamus) nisi per se ipsam, vel per immediatam habitudinem ad illud. Ita è conuerso agens non applicat hoc modo ad agendum, seu ad actionem, ut existentem, nisi per illam, utique eliciendo illam. Si verò applicatio intelligatur ad actionem ut futuram in tempore, vel saltem ordine naturæ, tunc supposita omni applicatione passiva, vel obiecti, quæ vocatur extrinseca, nulla alia applicatio media physica, & propria necessaria intercedens inter principium agendi, & actionem intelligi potest, sed tantum moralis per animi propositum, vel destinationem, quæ habet tantum locum in his potentis animæ, quæ habent inter se naturalem subordinationem ratione cuius vna imperat alteri, seu mouet, & applicat illam ad proprium actum. qui modus applicationis non solet fieri per impressionem alicuius, vel motionis factæ in potentia inferiori mota, sed solum per naturalem subordinationem, vel sympathiam ad potentiam superiorem mouentem. Igitur talis applicationis modus non potest cum proprietate, & veritate attribui illi motui præuiæ, quam Deus imprimere dicitur omni causæ secundæ. Solum ergo per quandam analogiam, & imitationem poterit dici applicatio, quatenus sine tali præmotione non potest talis potentia agere; in illa verò posita statim quasi necessitate quadam actionem suam elicit. Hæc autem tam necessaria connectio intelligi non potest in tali præmotione, nisi propter aliquam vim, & efficaciam propriam, ac per se, quam habeat in actionem causæ secundæ in quam necessariò influat, & à qua ipsa actio causæ secundæ essentialiter pendeat: nam si hæc concludatur, tanta necessitas talis conditionis sine fundamento affirmabitur. Merito ergo qui talem præmotionem requirunt, hanc causalitatem illi attribuunt.

17. Ex hac verò resolutione intulerunt auctores alii hoc præuium esse actum primum, vel complementum actus primi, saltem per modum cuiusdam formæ completis vim actiuam necessariam ex parte facultatis creatæ ad eliciendum actionem suam, & producendum effectum, quæ consequituro videtur mihi planè euidens, ac necessaria. Probatur per partes singulas. Nam in primis illud auxilium est actus quidam efficiens, & informans potentiam causæ secundæ, nam est ostensum esse debere aliquam qualitatem, & quamuis negetur esse qualitas, & vocetur motio, nihilominus negari non potest, quin sit actus entis in potentia, nam hæc est de ratione omnis motus, vel mutationis. Item ille actus recipitur in facultate causæ secundæ tanquam in potentia purè passiva respectu talis auxilij; ergo è contrario auxilium illud imprimatur tali potentie tanquam actus illius, non imprimatur

autem causæ secundæ tanquam actus secundus eius, nec tanquam inchoatio actus secundi, ergo imprimatur ut actus primus, vel complementum actus primi. Antecedens probatur, quia actus secundus causæ secundæ efficientis est illa effectiue: iste autem actus præmotionis non est effectiue à causa secunda, ut iam inter nos conuenit. Et eadem ratione non potest esse inchoatio actus secundi, quia inchoatio actus secundi aliquid est ipsius actus secundi, ergo est aliquid actionis causæ secundæ; ergo est effectiue à causa secunda. Denique causa secunda sicut facit, ita etiam inchoat actionem suam, & donec intelligatur actu influere, non intelligitur inchoare actum secundum. Motio autem præuia præcedere dicitur ordinaturæ actualem influxum in causæ secundæ; ergo nullo modo est actus secundus; vel inchoatio eius. Prima verò consequentia probatur, quia actus actuans potentiam adequatè diuiditur in actum primum, & secundum, quia nec datur actus tertius, nec prior primo, nec inter primum, & secundum potest cogitari medium, sub actu primo omne complementum eius, & sub actu secundo omne inchoationem eius comprehendendo. Cum ergo illa præmotio sit actus causam secundam actuans, & formaliter eam reducens de potentia in actum, & non reducat illam formaliter in actum secundum, vel inchoationem eius, nec esse est ut ad actum primum pertineat. Et quia in causa secunda supponitur virtus aliqua actiua quæ est quasi connaturalis, & intrinsecus primus actus eius, necesse est ut ille præuius concursus sit complementum actus primi, quod tandem his verbis concedit Aluarez disp. 18. n. 12. & 18. & D. Thomæ & Thomistis id tribuit.

Ex quo vltius inferitur, facultatem actiuam connaturalem causæ secundæ ex se non habere totam virtutem agendi necessariam ad talem effectum producendum, vel talem actionem efficiendam, sed talem virtutem compleri per illud additum, quod per id præuium concursum illo adiun- gitur. Probatur ex principis auctorum eorumdem, qui secundum sententiam contrariam dubio præcedenti propositam defendunt. Primum est, quod potentia actiua causæ præcisè spectata ad huc est in potentia passiva, & receptiua illius adiecti, seu motionis, ut dubio 4. visum est; ergo recipitur in illa per modum actus primi, & præuii ad secundum. Declaratur à simili in oculo, nam quia visus de se est in potentia ad speciem, ideo sine specie est incompleta virtus, & actus primus videndi: ita ergo omnis virtus actiua propria causæ secundæ de se, & ante illum concursum præuium non est in actu primo completo ad agendum, ac proinde non habet integram, & completam virtutem actiuam, sed motionem illam complet. Ergo sola facultas causæ secundæ sine tali principio non est completa virtus actiua. Secundum principium est potentiam actiuam causæ secundæ non esse in actualitate perfecta, & ideo necessarium esse hunc præuium influxum in ipsam causam, ut per illum suppleatur defectus actualitatis eius; ergo talis potentia ex defectu actualitatis habet etiam defectum virtutis actiue, & illum supplet præuia motio actuando amplius ipsam potentiam; ergo actuat illam complendo actualitatem, quia illa actuatio tota est ad agendum, nec defectus virtutis actiue aliter suppletur, quam addendo, & complendo virtutem agendi. Tertium principium est, quia causa secunda non habet proportionatam virtutem actiuam addandum esse existentie suo effectui, & ideo indiget hac præmotione; ergo hæc motio simpliciter complet virtutem actiuam causæ secundæ. Probatur consequen-

fequentia, quia nulla efficiencia effe poteft, nifi per illam educatur aliquid de non effe ad effe; ergo virtus quæ non eft completa ad dandum effe, non eft completa ad efficiendum, & confequenter motio illa vel qualitas, aut entitas per quam aſtuitas exiſtentia tribuitur, magnum complementum virtutis confert cauſa fecunda ad efficiendum.

Quartò ex aliis locutionibus eorundem auctorem idem conuincitur. Dicunt enim voluntatem, v. g. per hanc motionem efficere actum ſuum a-moris, vel alium ſimilem. Ita fatetur Ledefma art. 6. concl. 6. dicens, per hanc motionem cauſam ſecundam applicari ad operandum, & producere actum ſecundum, & idem repetit de voluntate art. 6. concl. 3. vbi duo coniunguntur, ſcilicet applicari, & producere, quæ non poſſunt eodem modo fieri ab illa motione; nam applicari fit ab illa ſola, & voluntas, vel cauſa ſecunda in hoc dicitur ſe habere paſſiue. Vnde illud applicari intelligendum videtur formaliter reſpectu motionis, nam Deus ſolus dicitur applicare cauſam ſecundam ad operationem; applicat autem imprimendo illam motionem; ipſa ergo motio eſt per quam cauſa ſecunda formaliter applicatur. Aliud verò, ſcilicet, operari eſt actiue à voluntate, & à cauſa ſecunda; ergo cum dicitur operari per illam motionem, neceſſe eſt illud intelligi in genere cauſæ efficientis; ergo operatur voluntas per illam motionem tamquam per quoddam principium formale operandi, ſiue illud fit principale, ſiue inſtrumentale, ſiue integrum, ſiue parziale. Ergo tale principium dat voluntati virtutem aliquam agendi, aut ſaltem complementum eius.

Et hoc confirmant alij modi loquendi eorumdem auctorum, vocant enim hunc prauum concurſum *motionem virtutis*, vtique ad agendum, & tota illa virtus tribuitur cauſa ſecunda, vt per illam agat, & tamquam neceſſaria illi ad agendum; ergo complet virtutem eius. Quid enim eſt complementum virtutis, niſi additio virtutis per ſe actiua, ſine qua fieri non poteſt, vt præxiſtens virtus aliquid agat; ſi ſimiliter vocant hanc motionem, *virtutem inſtrumentalem primæ cauſæ*, & ad dandum eſſe effectui *cauſa ſecunda*; virtus autem inſtrumentalis actus primus eſt reſpectu authoris actionis, & præſertim vbi talis virtus eſt qualitas, vt videre licet in ſemine, & calore vitali, & multi eodẽ modo loquuntur de ſpecie impreſſa. Oſenſum autem eſt hanc motionem eſſe qualitatem, & debere eſſe actiua, & dari cauſa ſecunda, vt neceſſaria ad ſuum effectum, & ad ſuam actionem, & inchoationem eius. Quomodo ergo poteſt conſequenter negari quin talis motio, vel qualitas compleat virtutem agendi cauſæ ſecundæ, cum det illi virtutem ſaltem inſtrumentariam neceſſariam ad actionem ſuam. Vnde tandem ipſimet auctores ita loquuntur, vt dicant Deum præmouendo cauſas ſecundas, illas applicare ad operandum eiſque tribuere complementum virtutis actiue, vt expreſſe loquitur Aluarez diſput. 19. concluſ. 3. §. *Confirmatur*, & diſput. 18. num. 12. & verbis æquivalentibus id tradit Ledefma art. 5. concl. 2. dicens, hanc motionem eſſe principium intrinſecum operationis formaliter inhærens creaturæ, vel voluntati creatæ. Quid enim poteſt eſſe principium formale operationis, niſi virtus operandi? aut quomodo poteſt eſſe principium intrinſecum, & inhærens, quin det ſubiectio virtutem operandi. Verum eſt illum auctorem ſtatim ita explicare dictâ aſſertionem, vt illam diſtruiere videatur; ſed hæc ipſa perplexitas diſcultatem doctrinæ atteſtat.

Quintò videtur quidem ſumi efficaciffimum argumentum ad hominem ex alio principio de gratia ex gratia efficaci, quod pro conſtanti habent dicti auctores, Fr. Suarez de Gratia Pars II.

putant enim gratiam efficacem conſiſtere in hoc prauio influxu cauſæ primæ in ſecundam eleuato ad ordinem gratiæ, & ad actus ſupernaturales, & nihilominus tribuunt illi auxilio, quod dat vires efficaciffimas voluntati illi accommodantes hæc verba, & alia ſimilia Auguſtini, multo autem magis eſt dare vires efficaciffimas, quam cõplere virtutem agendi, nam illæ vires ſunt ad agendum, & ita conſtituit voluntatem in actu primo: nam actus ſecundus non dat vires agendi, ſed per vires agendi fit. Vnde Ledefma art. 5. concl. 2. ratione. 4. dicit auxilium efficacem efficere in nobis multas operationes ſupernaturales dilectionis, contritionis, & Deum per illum, & per voluntatem illas efficere, & dicit hoc eſſe certum ſecundum ſidem, quia voluntas cum illo auxilio concurrat ad operationem; ergo neceſſe eſt vt fateatur auxilium habere etiam propriam vim efficiendi illas operationes, & illam communicare voluntati cui inheret; ergo ex voluntate & illo auxilio completur vnum integrum principium talis operationis.

Maximè verò vtget hoc principium in voluntate, quando elicit hos actus ſupernaturales ſine habitu inſuſo, vel alio principio intrinſeco ſupernaturali inhærente; docent enim dicti authores tunc ſolum auxilium prauum, & efficacem eſſe principium intrinſecum totale, per quod voluntas efficit tales actus, & illam motionem virtuoſam ſupplere totam actiuitatem habitus inſuſi. Ergo tunc ſaltem negare non poſſunt, quin motio illa ſit actus primus, & det voluntati virtutem agendi: nam ſupponunt voluntatem non poſſe eleuari ad eliciendos huiusmodi actus, quin prius natura conſtituatur in actu primo, per aliquam entitatem creatam ſibi inherentem, quæ ſit illi principium formale, imò & principale, & tota virtus agendi talem effectum, vt ſuprà viſum eſt. Ergo ille concurſus eſt talis actus primus in illo caſu; ergo ſemper eſt talis, quia ab eiſdem ſupponitur ſemper eſſe idem, eiſdemque rationis; ergo ſemper actuat eodem modo ſaltem quoad effectum formalem, quem per ſe tribuit potentia; ergo ſemper eſt actus primus, & dat potentia virtutem agendi.

Ex quo infero primò inueniri repugnantiam in aliquibus dictis illorum authorum, quam notare oportet, quoniam ad confirmationem noſtræ ſententiæ multum conferet. Primum igitur Ledefma art. 6. concl. 2. in fine quartæ probationis, dicit, implicare auxilium prauum efficacem concurrere in ratione principij effectiui, & vt applicat ipſum principium effectiuium, qui alias idem applicaret ſeipſum, & ſimul eſſet actus primus, ſecundus, & ſimul eſſet in actu & potentia ſecundum idem; paulo verò poſt in quodam notabili poſt tertiam conſuſionem dicit, quando voluntas operatur ſine habitu inſuſo per ſolum auxilium efficacem, tunc illud auxilium ſimul habere rationem principij actiui, & actus primi, & applicationis, ſeu motionis voluntatis. Quomodo ergo iſta coherent? nam id quod implicat, numquam fieri poteſt. Nam idem applicare ſeipſum, & ſimul eſſe actus ſecundus, & in actu, & potentia ſecundum idem. Quod ſi hæc verè ſequuntur, & repugnat, non magis coniungi poterunt in illa præmotione, quando datur non habenti habitum, quàm cum datur habenti, cum ſupponatur motio in vtroque caſu eſſe eiſdem rationis; parumque refert quod voluntas non habeat alium actum primum, quando caret habitu, quia poſſet ſuppleri per aliam qualitatem, vel entitatem ab auxilio illo efficaci diſtinctam, ſi repugnaret illud auxilium eſſe actum primum, & virtutem operatiuam.

Veritas autem eſt, illam implicationem nullius momenti eſſe, quia ſicut quando potentia non habet habitum, auxilium illud eſt principium effecti-implicat

efficacia
gum eto
hominen

Ledefma.

22. Maximè
voluntate
agente ſine
habitu in-
fuſo.

23. Hinc infer-
tor 1. repu-
gnantia in
dictis aucto-
rum illorū.
Ledefma.

24. Explicat

quam sta-
ruebat Le-
desma.

uum, & seipsum applicat ad agendum, & id non repugnat, quia si illud applicare nihil aliud est, quā agere: ita si illud auxilium datur potentia operanti per habitum, simul esse poterit principium agendi, vel coagendi cum habitu, & seipsum applicans ad talem actionem. Vnde, vt supra vidimus, in alijs locis fatetur idem author vniuersaliter, tale auxilium, vel concursus primum esse causam efficientem, & principium agendi, vt iam retuli. Deinde sicut in vno casu non est actus secundus, sed illum facit, & ab illo realiter distinguitur, ita quando cum habitu operatur, non est actus secundus, propter eandem rationem. Ac denique sicut tale auxilium operando sine habitu non fit in actu, & potentia secundum idem, ita nec cum illo operando, quia cum tali auxilio, siue cum habitu, siue absque illo, numquam separatur ab operatione; nunquam est in re ipsa in potentia agendi, sed semper actu agens. Quod si præcisè spectetur vt est prius natura, quā eius actio, sic etiam in neutro casu est tale auxilium in potentia receptiuā, quia non est capax alterius præmotionis, vel applicationis, ne procedatur in infinitum: in neutroque autem casu est per modum potentia, vel virtutis actiue, quatenus est principium agendi.

Altera repugnantia est, quia fatentur hi Doctores, hanc motionem præuiam esse veram, & per se efficientem causam actionis, & effectus causæ secundæ, & negant dare posse agere, sed tantum agere, vtrumque enim passim in eis legitur, vt patet ex locis in hoc capite allegatis. Quod autem illa inter se pugnant facillè ostenditur: nam illud auxilium est vera causa efficiens, & non vt agens quod; ergo vt principium quo efficiendi, sed omne principium quod dat supposito operanti potestatem agendi; ergo etiam hæc motio dat posse operari. Et confirmatur, nam in illo casu quo voluntas supernaturaliter operatur sine habitu, ipsi fatentur hoc auxilium dare voluntati potestatem operandi quam daret habitus si adesset; ergo eandem dat voluntati habenti habitum, quia est eadem facultas, & motio, vel saltem com plebit posse, dando vim specialem agendi, quam non dat habitus. Præterea cum dicitur hoc auxilium dare agere, vel intelligitur dare effectiue, vel formaliter. In priori sensu verum est, tamen inde sequitur dare etiam aliquod posse, quia nulla qualitas, vel entitas dat supposito effectiue agere, nisi in quantum dat illi virtutem agendi, per quam virtutem recipit suppositum potestatem agendi aliquid, quod antea non poterat, vel saltem agendi illud nouo modo. Si verò illa propositio in alio sensu formaliter intelligatur, in rigore, & proprietate falsa est, quia nulla forma dat formaliter agere alicui supposito, nisi actio, quia ab actione agens formaliter denominatur agens, & nihil aliud est agere, nisi esse agens, seu actionem emitte. Illud autem auxilium non est actio eius in quo recipitur, quia ab illo non fit, vt supra visum est, & idem auctores fatentur; ergo non constituit illum formaliter agentem, ergo nec dat formaliter agere. Quod si latiori modo dicatur, dare agere, quia numquam datur talis motio, quin sequatur ipsum agere, inde fit, vt solum det agere efficienter, quia non aliter sequitur agere ex tali motione, nisi efficiendo, & emittendo actionem simul cum causa secunda, & quasi trahendo illam, vt secum agat. Et ideo per hoc non tollitur quin vt det agere, & posse agere, quia illa consecutio non est sine ordine naturæ, & prius quā ex tali auxilio sequatur agere afficit formaliter potentiam, & dat illi suam vim actiuam, quam vocamus potentiam agendi, vel saltem complementum virtutis, aut potestatis, sicut est species visibilis in oculo, & alij similes.

Tertiam repugnantiam in eo inuenio, quod in-

terdū dicti authores, præsertim Ledesma, vt supra allegaui, motionem præuiam, & concursus simultaneum (quem imbitum in actione causæ secundæ vocant) in duobus æquiparant, quæ simul cum proprietatibus illorum auxiliorum subsistere non possunt. Primò in hoc quod concursus simultaneus sicut non est qualitas, ita nec præuius, indicando etiam in re esse idem, de quo supra dixi. Sed illud præmitto, quia hinc inferunt, quod sicut concursus concomitans non complet, & consummat actum primum in causa secunda, ita neque motio præuia. Hæc autem æquiparatio destruit rationem auxilij præuij: nam inde sequitur non habere veram rationem principij efficientis, sed esse meram actionem, ac proinde non habere vnde distinguatur ab auxilio simultaneo, quia illud etiam tantum est actio, & superfluum est tot multiplicare actiones tendentes ad eundem terminum. Quod si sunt duæ, & vna sola est à causa prima, alia verò à causa secunda, simul cum prima, & istæ habent ordinem causalitatis, & naturæ; ita vt illa sit prior, hæc posterior. Illa profecto quæ est prior, habet etiam priorem terminum intrinsecum, & ille poterit esse qualitas, & illa erit principium secundæ actionis, & consequenter poterit complere actum primum in causa secunda. Illa ergo æquiparatio destruit sententiam illam.

Quartò repugnare mihi videtur, quod sæpe dicunt, hunc concursus præuium esse veram causam efficientem effectus, & actionis causæ secundæ, & nihilominus, non solum negant esse actum primum, sed etiam interdum negant complere actum primum, præsertim Ledesma locis supra citatis. Et è conuerso affirmant, hoc præuium auxilium vel esse medium inter actum primum, & secundum, vel magis ad actum secundum, quā ad primum pertinere. Aut enim intelligunt pertinere ad actum secundum formaliter, vel realiter, seu identicè, vel causaliter. Primum impugnatum iam est, & planè repugnat cū causalitate effectiua, talis auxilij, quia causa eliciens, seu efficiens actum secundum, non est actus secundus, sed finis eius. Nec etiam identicè, seu realiter illud auxilium est actus secundus, aut aliquid, quia ostensum est distingui realiter ab actione in qua consistit, vel per quam inchoatur actus secundus. Si autem dicatur esse actus secundus tantum causaliter, hoc nihil est, quia hoc modo etiam species visibilis, vel lumen gloriæ dici poterit actus secundus, valde tamen abusiue, & solum ad eludendas difficultates, non ad rem declarandam.

Dicent fortasse pertinere ad actum secundum, quia nunquam ab illo separatur, & quia facit facere effectiue, sed non satis facit, quia vtrumque etiam habet lumen gloriæ: nam in primis numquam separatur à visione. Dices ita esse de potentia ordinaria, de potentia tamē absoluta posse separari, quod non potest dici de auxilio efficaci. Sed fortè hoc posterius falsum est, vt statim ostendam: & licet esset verum de separatione in duratione temporis, satis est quod ordine naturæ præintelligatur tale auxilium sine toto actu secundo, & quoad totā actionem, & realitatem eius, nam simili modo lumen gloriæ facit efficaciter videre Deum. Dices id etiam facere per auxilium præuium illi additum, sed hoc ipsum est, de quo controuertitur. Et præterea illud dato illud auxilium non facit facere, quia ipse fit actus secundus, sed propter singularem efficaciam quam habere dicitur circa ipsum facere, id est, circa actionem, seu actum secundum causæ creatæ. Vnde si illud auxilium præcisè consideretur, quatenus per se ipsum actuat, & informat potentiam actiuā causæ secundæ, non constituit illam in actu secundo, quia non constituit illam formaliter operantem, sed constituit vltimatè applicatam, seu motam vel actuatam.

ram ad agendum, quod totum reuera pertinet ad actum primum completum, quia tunc in illa cauſa ſe conſtituta nondum eſt inchoatus actus ſecundus. In hoc ergo ſenſu illud auxilium non facit facere, ſi verbum illud *facere*, ſumatur formaliter, ſeu ingenerare cauſe formalis, ſi verò ſumatur effectiue, etiam in illo priori, non facit facere in actu ſecundo, quia vt ſic nondum facit; ergo ad ſummum dici poteſt, quod facit facere, quia ita actuatur potentiam, vt ex illo inuitabiliter ſequatur ipſum facere, quod non eſt contra, vel extra rationem actus primi completi, vt oſtenſum eſt.

Nec etiam oportet fingere modum inter actum primum, & ſecundum, tum quia, vt ſuprà probaui, repugnat immediationi talium actuum inter ſe, & rationibus formalibus eorum, quia totum id quod ſupponitur ad actionem tanquam principium eius, pertinet ad actum primum. Vnde Ledefma in dicta quaſtione vnica in principio, fundamento 3. ſic deſcribit hanc motionem Dei. *Eſt vis quaedam actiua in ipſa voluntate recepta, qua mediante voluntas exit in actum ſecundum*, quae deſcriptio apertiſſimè conuenit in actum primum, & condiſtinguit omnino tale auxilium ab actu ſecundo. Ideoque non rectè conſonat, quod idem author eadem quaſtione art. 6. ſ. *Aduertendum*. Ante quintam conſolutionem dicit, Auxilium hoc eſt velut medium, & tener ſe aliquo modo ex parte potentiae, & ſimpliciter reduritur ad actum ſecundum, & eſt initium actus ſecundi. Quomodo enim poteſt eſſe actus ſecundus, vel initium actus ſecundi, ſi eſt vis actiua, per quam voluntas efficit actum ſecundum? Nam ſi per initium intelligat actuum principium proximum actionis, & neceſſario influens in illam, totum hoc pertinet ad actum primum, & omnino realiter, & formaliter diſtinguitur à toto actu ſecundo, vt probaui. Si autem loquatur de initio aliquo intrinſeco ipſius actus ſecundi, vt iam eſt in ſieri, ſic impoſſibile eſt vim agendi ex parte potentiae eſſe totale initium actus ſecundi, cum ſit cauſa effectiua eius, non ergo oportet verbis incertis aut nouis vi, ſed ingenuè fateri hoc auxilium eſſe actum primum, vel quali partem eius. Poſſumusque non ſine cauſa hos patres redarguere, quod alibi grauiter reprehendant Molinam, quod ſententiam quamdam Dei mediam appellauerit, quia nemo illam antea ita vocauit, quamuis reſponſa non eſſet antea ignorata; ipſi verò nunc introducere velint actum medium inter primum & ſecundum, quem antiqui, neque ita nominauerunt, ſic agnouerunt.

Ultima, & maximi ponderis repugnantia eſt, quod omnes rationes quibus iſti authores contententur ad ſuadendum hanc concurſum non eſſe qualitatem completam, actiuitatem, ſeu virtutem, vel actum ad eſſe actus primi cauſe ſecundae, probant non eſſe entitatem aliquam neceſſariam cauſae ſecundae ad agendum, ſive ſub nomine qualitatis, ſive motionis virtutis, ſive ſive inſtrumentarie virtutis ſignificetur. Et idèdè ibi receptae ſimul ſumpta probare hunc praeuium influxum non eſſe neceſſarium, nimirum conſiderando argumentum hoc modo. Si praeuius concurſus eſſet neceſſarius maxime ad concurrendum effectiue, & per ſe cum cauſa ſecunda praeuocando illam: ſed hoc modo, ſeu titulo non eſt neceſſarius, ergo abſolute neceſſarius non eſt. In Maiori conueniunt omnes deſenſores talis concurſus, vt Ledefma ſuprà allegatus reſtat. Minor autem probatur, quia ſi auxilium efficaciſſimum eſt neceſſarium ad concurrendum per ſe cum cauſa ad agendum, ſed auxilium efficaciſſimum non poteſt eſſe talis qualitas, vel entitas, ergo. Maiorem probant argumenta prioris ſententiae relata dub. 2. & conuincunt ſuppoſita tali cauſalitate vt in toto diſcurſu

huius dubij 10. demonſtratum eſt. Minorem verò efficaciſſimum probant argumenta poſterioris ſententiae, quod facile patebit per illa diſcurrendo. Prius verò noto diuerſitatem inter dictos authores: nam Ledefma concedit auxilium efficaciſſimum, ſaltem in voluntate eſſe qualitatem. Aluarez autem id negat, ſed contendit tantum eſſe motionem. Item prior negat eſſe complementum actus primi, ſeu virtutem cauſae ſecundae, poſterior verò id facile admittit.

Prima ergo ratio eſt, quia cauſa ſecunda habet virtutem actiua completam in ſuo genere, ergo non indiget complemento, quia ratio euidens concludit contra eos, qui docent auxilium eſſe qualitatem actiua, & principium neceſſarium ad eliciendum actionem: nam ſi eſt qualitas actiua paſſiue tantum recepta in cauſa ſecunda, & illi neceſſaria ad agendum, non poteſt non eſſe complementum virtutis agendi, vt probatum eſt; ergo ſi tale complementum non eſt neceſſarium, nec talis qualitas neceſſaria eſt. Verumtamen non minus efficaciſſimum, & abſolute probat ratio potentiam habentem virtutem completam non indigere complemento addito per nouam entitatem realem, quocumque nomine vocetur: quia quod eſt completum in virtute agendi ſimpliciter, non indiget complemento virtutis, vt egere poſſit: nam complementum virtutis eſt additio virtutis, quod autem eſt primum, non indiget additione virtutis, vt agat, licet poſſit illa indigere, vt facilius, aut velocius agat. Nec ſatis facit reſpondendo potentiam completam in virtute, poſſe in eadè per modum motionis, vel applicationis compleri. Hae enim reſponſio aliquem habet locum, ſi motio illa, vel applicatio ſolum eſſet conditio ſine qua non, hae enim requiri poteſt interdum ultra completum principium agendi. At verò cum illa motio dicatur neceſſaria tamquam per influens in effectum, negari conſequenter non poteſt quin addat virtutem agendi, & eo titulo ſit neceſſaria, quod plane repugnat, ſi iam ſupponit completam virtutem actiua, quocumque modo, vel per quancumque entitatem virtutem illam addere intelligatur.

Et hoc etiam confirmat ſecunda ratio, quae ſumebatur ex ſuperfluitate plurium qualitatum, quando vna poteſt habere, imò ſupponitur habere completam virtutem agendi. Hae enim ratio non minus vrget ſub generali voce entitatis, ſeu rei, quam ſub nomine qualitatis. Nam vulgare principium in quo nititur, illa ratio, *ſuperflua ſuper plura, quod poſſet fieri per pauciora*, non arctantur id plures qualitates, ſed tranſcendentaliter proferuntur, verumque cenſetur de pluribus reus, habet enim eandem rationem in quocumque rerum genere, eo vel maxime quod ipſe Ledefma, qui illo argumento vtitur alibi, fatetur in cauſis agentibus actione immanente illum concurſum praeuium eſſe qualitatem, neque poteſt negare quin ſit actiua, cum ibidem dicat eſſe principium per ſe influens in actionem cauſae ſecundae; ergo vel illa qualitas non ſupponit completam virtutem agendi in potentia etiam habitu ſupernaturaliter informata, vel ſi illam ſupponit, ſuperflua eſt alia qualitas addens actiuitatem ad eundem actum.

Simili modo negari poteſt tertia ratio deducens ad proceſſum in inſinitum, quia ſi cauſa ſecunda indiget complemento virtutis, ſolū quia virtus creata eſt, & pendens, ac ſubordinata cauſae primae in agendo: hae omnia conueniunt illi qualitati, vel motioni, per quam dicitur compleri virtus cauſae ſecundae ad agendum: nam etiam illa eſt qualitas creata, & pendet à concurſu primae cauſae in agendo, & ſubordinatur illi: ergo indigebit alio complemento, & ſic procedetur in inſinitum, quod argumentum maxime vrget contra eos, qui admittunt illi concurſum praeuium

31. Examinatur illa rationes ſingillatim in ex complemento virtutis actiuae creatae.

32. Ex ſuperfluitate plurium qualitatum.

33. Ex proceſſu in inſinitum.

Aluarez.

uium esse qualitatem, & ideo Aluarez constanter id negat, dicens esse puram motionem, & ita facile respondet negando primam consequentiam, quia qualitas indiget motione: morio autem non indiget motione, sed seipsa mouetur. At nos satis (vt credo conuincimus) non posse esse sine qualitate. Deinde etiam si motio ad mouendum quasi formaliter non indiget alia motione, quia ad illum effectum non indiget alio concursu, nisi illo, quo fit, & conseruatur: nihilominus ad agendum aliquid aliud a se realiter distinctum tanquam principium per se efficiens illud, indigebit nouo concursu primae causae, ac subinde noua motione, quia si indiget concursu primae causae, pendet ab illa essentialiter in agendo, & subordinatur illi, quae est vnica ratio, propter quam dicitur virtutem causae secundae indigere noua motione. Vnde cum illa dependentia & subordinatio ad primam causam non proueniat ex ratione qualitatis, sed ex transcendentali ratione entitatis, vel virtutis causae creatae, profectio aequè procedit ratio in quacunque entitate siue qualitas, siue motio vocetur. Quod si in illa vltima entitate, qualitate, vel motione opumè intelligitur dependentia, & subordinatio ad primam causam sine additione praeuiae motionis, cum etiam in quacunque virtute actiua causae secundae, & in suo ordine completa intelligi poterit. Atque vi huius rationis, ex his quae in dubio 11. capite sequenti dicemus, magis innotescet.

34.
4. De insufficiencia omnis virtutis creatae ad agendum, & auxilium efficax non erit auxilium sufficiens.

Quarta & potissima ratio erat, quia aliàs nulla virtus creata ad praeuium Dei concursum esset sufficiens ad suum effectum, & sic in ordine gratiae ante auxilium efficax, non erit auxilium sufficiens, quod dici non potest. quam rationem semper existimauimus, in hac materia efficacissimam. Et quamuis P. Ledesma grauer ferat, quod illam plus in isto exaggerauerim, nihilominus ipse refert. Ioan- nem Vincentium eiusdem secum familiaris doctrinae virum illam insolubilem reputasse, fuisseque illa conuictum, vt necessitatem auxilij physice praeterterminantis negauerit. Sed de hac motione in lib. 5. ex professo dicturus sum, nunc solum dico ipsi etiam P. Ledesma visam esse illam rationem efficacem ad probandum, talem concursum non posse esse necessarium propter complementum virtutis causae secundae ad agendum. Nos autem, vt opinor, non minori efficacia ostendimus illum concursum eo modo, quo ab ipso met Ledesma ponitur esse complementum virtutis, cum dicat illum esse qualitatem, & principium per se efficiens actionem causae secundae, sine quo talis actio fieri non potest. Ergo si illa ratio efficaciter probat, non requiri complementum actus primi, seu virtutis causae secundae, efficaciter etiam refellit necessitatem talis concursus praeuij: nec minus conuincit haec ratio contra P. Aluarez, & alios qui negant illum concursum esse qualitatem, & concedunt esse complementum virtutis, & actus primi. Nam si est complementum necessarium ad actum primum completum, parum refert quod sit qualitas, vel entitas alterius generis: cuiuscunque enim sit, si deest iam actus primus, non est completus; ergo nec integer; ergo nec sufficiens, quia ad eliciendum actum secundum solus actus primus integer, & completus est sufficiens, vt ipsum nomen sufficientis euidenter indicat, & in lib. 4. latius dicturi sumus, & in 5. amplius vrgebimus.

35.
Diluitur replicam P. Ledesmae.

At verò P. Ledesma pro illa sententia respondet mirabiliter art. 11. conclus. 2. auctores qui dicunt concursum praeuium esse completum, & consummatum auxilij sufficientis, non negare auxilium sufficiens, sed potius eo ipso supponere illud: nam id quod completur, & peruenit, supponitur ad tale complementum, quia in omni re complementum, & consummatio rei distinguitur ab illa,

sicut existentia est complementum essentiae, & ideo ab illa distinguitur. Sed in primis responsio est contra mentem illorum authorum, quos ipse ibi explicare conatur: nam de illis refert negasse necessitatem talis complementi quia aliàs non supponeretur auxilium sufficiens; ergo non poterant in sua sententia illud supponere, vt completetur, sed potius vt verè posset supponi, necessitatem talis complementi auferendam indicabant. Deinde illa responsio abutitur verbis: nam si complementum illud necessarium, vt virtus agendi sit integra, & completa, non potest dici complere auxilium sufficiens tanquam supponens illud, sed tanquam completens, integrans illud; sicut vltima vnitas est necessaria ad complementum numeri in tali specie, vel sicut vltimus terminus naturae ad complementum suppositi est necessarius. Quae exempla ostendunt, falsum esse illud principium, complementum rei distinguitur a re. Neque exemplum de essentia, & existentia est ad rem, quia existentia non complet essentiam in ratione essentiae, sed in ratione entitatis actualis, & in hac ratione non supponit illam, neque potest non includere illam.

In presenti ergo quarta illa ratio, qua idem etiam auctor vtitur, in hoc sensu procedere debet, vt efficax, quod si auxilium praeuium dat complementum actus primi, & est necessarium ad illum, complet formaliter, & intrinsece auxilium sufficiens, & in hoc sensu euidenter probatur illo argumento, quod actus primus non est sufficiens, nisi in tota virtute necessaria ad actionem completus sit. Et ita ratio illa, qua isti authores conuincuntur ad negandum, quod talis concursus praeuius sit necessarius vt complementum actus primi, absoluit, conuincit illum concursum praeuium non posse esse necessarium, cum ponatur esse principium per se, ac necessarium actionis, & effectus causae secundae. loquor autem semper de necessitate talis complementi, quia si non ponatur vt necessarium, sed vt utile, vel augens virtutem, sic non procedit ratio, quia potest supponi auxilium sufficiens, & nihilominus perfici per aliud auxilium: tunc autem non completur prius auxilium in virtute necessaria, vt fiat actio, sed augebitur virtus vt melius, vel facilius operetur. Ratio ergo praecedit de complemento actus primi necessario, & sic redarguit, & rapugnantia dictorum videtur manifesta.

Vltimò tamen respondere possunt, quod inter- dum etiam insinuant virtutem causae secundae esse completam in suo ordine, & in eo complet non potest, ac proinde sufficientem esse: auxilium autem praeuium esse necessarium in alio genere, & non vt actum primum causae secundae, sed vt virtutem primae causae, per quam applicat causam secundam ad operandum influendo etiam per eundem concursum in operationem causae secundae, & ideo neque esse superfluum illum influxum, quia est in alio genere, neque illum concursum indigere alio praeuij, quia ipse est iam in illo ordine. Sed haec responsio habet peculiarem difficultatem in presenti materia de auxilijs gratiae, quia in ordine gratiae non dantur auxilia praeuia vt simpliciter necessaria, nisi ad supplendum defectum proximarum virtutum in potentiis naturalibus, & in homine lapsò. quae difficultas specialiter est in homine supernaturaliter operante sine habitu infuso: nam in alio auxilium efficax dicitur dare totam illam proximam virtutem operandi; quomodo ergo sine illo habet auxilium sufficiens? aut quomodo in illo auxilium efficax non est proprius actus primus causae secundae. Sed haec & similia in lib. 5. remitto. Nunc persistendo in generali disputa-
tione.

ratione de concurſu neceſſario prima cauſa duobus modis euationem illam impugno.

Primò, quia licet virtus actiua cauſae ſecundae ſit completa in ſuo genere, nihilominus præciſe ſpectata non habet actu totam actiuitatem intrinſecam ſibi neceſſariam ad agendum, ſed partim habet illam in actu primo, partim tantum in potentia verè paſſiua, quatenus poteſt recipere in ſe qualitatem illam concurſus praeuij, ergo non ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid eſt ſufficiens ad effectum ſuum efficiendum, nec poterit dici actu ſimpliciter ſufficiens, donec praeuium concurſum actu receperit. Et quamuis demus hunc concurſum ſe tenere ex parte Dei, quati vices eius ſupplendo, hoc non obſtat quominus ſit verus actus primus potentiae cauſae ſecundae informans illam, & conſequenter reducens illam de potentia receptiua in actum primum vtiue actiuium, ergo hoc non obſtat quominus verè conſtituat illam in eſſe completae potentiae actiuae ſimpliciter ſufficiens ad talem effectum. Declaratur à ſimili in potentia viſiua: nam præciſe ſpectata, vt eſt potentia animae habet totam actiuitatem, quae ex parte potentiae proximae ad videndum eſt neceſſaria. Nihilominus tamen quamdiu illa potentia non habet actu ſpeciem viſibilem, ſed eſt in potentia receptiua illius, illa actiuitas eſt ſimpliciter incompleta, & in ſufficiens: & ſpecies poſtea illi impreſſa, licet ſit quali ſemen obiecti, & inſtrumentum vici eius ſubiens ad concurrendum cum potentia; nihilominus eſt verus actus primus potentiae viſiuae, eam reducens de potentia receptiua in actum primum actiuium, & completum integræ virtutis viſiuae in ſuo genere; ergo idem eſt in præſenti, ſeruat enim eadem proportio, ſolumque eſt differentia, quia in viſu neceſſitas ſpeciei eſt, ex peculiari ratione potentiae cognitiuae: in potentia vero creata, vt ſic, dicitur oriri illa neceſſitas ex generali ratione virtutis creatae: hoc autem nihil impedit quominus ſeruata proportione, tam incompleta ſit omnis potentia creata ad ſuam actionem, quatenus eſt potentia viſiua ſine ſpecie ad viſionem eliciendam. Et hoc ſatis eſt ad vim quartae rationis, quam ſuprà ponderauimus, quia ſicut viſus carens ſpecie non poteſt dici ſufficiens ad videndum, niſi remotè, & in potentia paſſiua, donec ſpeciem actu habeat, ita omnis virtus creata, omneque auxilium antecedens tempore ad auxilium efficaci non poteſt dici ſufficiens ſimpliciter niſi remotè, & in potentia paſſiua. Quam verò fallum, & abſurdum hoc ſit in negotio gratiae, in lib. 4. & 5. videbimus.

Secundò impugno illam euationem, quia ſi ille concurſus praeuius non eſt neceſſarius, vt ipſam potentiam creatam compleat in virtute agendi, ſed tantum vt ſit virtus inſtrumentaria Dei, ſuperuacaneus eſt: nam cum Deus per ſeipſum intumè ſit in cauſa creata, & in illius virtute per ſuam actionem virtutem increatam poteſt iuuare cauſam ſecundam ad agendum, & non indiget virtute creata media, per quam ipſe operatur id quod eſt ſibi proprium in actione cauſae ſecundae. Declaratur exemplo adducto de potentia viſiua, tam corporali quam ſpirituali: nam quia indigeo iuuamine, & determinatione obiecti ad viſionem, ideo quando obiectum per ſeipſum non poteſt ad eſſe potentiae ad ſuum auxilium, vel determinationem præſtandam, id facit per motionem, vel qualitatem mediam, quae ſit inſtrumentum eius, vt eſt ſpecies impreſſa; quando verò obiectum per ſe adest potentiae, & rerum illud munus per ſe præſtare poteſt, non interuenit illa motio praeuia per impreſſionem ſpeciei, quae ſit veluti inſtrumentum, vt in viſione beata, & aliis multis philoſophamur.

Eadem autem ratio, & proportio in præſenti cauſa inuenitur.

Vnde D. Thom. q. 3. de potent. art. 7. in corpor. in ultimo modo, quem ponit, quo cauſa prima operatur in operatione cauſae ſecundae, tanquam tur ex S. principalis cauſa, in cuius virtute cauſa operatur ad eſſe manifeſtè declarat illam virtutem Dei, per quam virtus cauſae ſecundae ſuo effectui coniungitur, & in qua nitiſcit in operando, non eſſe aliam à virtute increata ipſius Dei, dicit enim illam virtutem non diſtingui ab eſſentia, & ſubſtantia ipſius Dei. Et inde colligit differentiam inter cælum, & Deum, nam cælum operatur cum cauſa ſecunda per virtutem emiſſam, & à ſe diſtinctam vbi non eſt. Deus autem ubique eſt, & virtus eius idem eſt quod ipſe. Et ideo (inquit) poteſt dici quòd Deus in qualibet re operatur, in quantum eius virtute (vti que idem eſt, quod ipſe) indiget ad agendum. Ergo ad influxum per ſe, & propriè effectiuium, quem Deus exhibet cauſae ſecundae, ad opus eius non indiget Deus illa virtute emiſſa creata, & inſtrumentaria, ergo ſi illa eſt neceſſaria, oportet, vt ſit ex indigentia ipſius cauſae ſecundae, quae per ſe eſt in potentia tantum paſſiua, quae ad complementum virtutis agendi. Quòd ſi hanc indigentiam non habet, proſpecto concurſus ille praeuius non eſt neceſſarius propter efficientiam per ſe, cum etiam ex parte Dei neceſſarius non ſit. Secluſa autem efficientia per ſe nulla in vtilitatem nedum neceſſitatem habere poteſt, vt ſuprà probauit. Ergo vel ſatendum eſt, potentiam cauſae ſecundae eſſe per ſe in ſufficientem in actu primo, vel ſuperfluum illum concurſum praeuium.

Accedit quòd etiam poſito illo concurſu praeuiuo & efficientia eius neceſſarium eſt, vt Deus immediate per ſeipſum, & per ſuam virtutem increatam, immediate influat in actionem creaturæ, ergo ſi quae eſt efficientia in illo concurſu, illa non ſe tenet ex parte Dei, ergo oportet, vel ſit ex parte cauſae ſecundae, & ad complendam inſufficientiam virtutis eius, vel impertinens ſit. Antecedens ſuprà probatum eſt, & authores alij illud negare non audent. Poſterior etiam conſequentia nota eſt, cum ſufficienti partium enumeratione, tum ex omnibus dictis. Prior autem conſequentia probatur, quia nulla alia ratio ſuadet, imò nec permittit, vt Deus duplici via (vt ſic dicam) præbeat efficientiam ex parte ſua neceſſariam ad actionem cauſae ſecundae. Cur enim per eandem ſuam virtutem increatam non præbeat totum ſuum influxum ad effectum cauſae ſecundae neceſſarium? Denique tota neceſſitatis huius concurſus praeuij ponitur ex parte cauſae ſecundae, quia quantum ſit in ſua natura perfectæ, eſt in potentia, & debet prius reduci in actum, & quia non poteſt eſſe mouens, niſi mota; ergo, conſequenter loquendo, omnino fieri neceſſe eſt hunc concurſum praeuium requiri, vt complementum neceſſarium ex parte ipſius cauſae ſecundae, vnde cum non poſſit eſſe tantum vt conditio ſine qua non, neceſſarium erit vt ſit complementum virtutis per ſe actiue neceſſariae ex parte ipſius cauſae ſecundae. Qui ergo hoc concedere recuſant, à propria ſententia recedunt, & ſibi contradicunt: qui autem illud admittunt, non poſſunt ſufficientiam cauſarum ſecundarum tueri, & ita etiam ſuo ſe gladio iugulant. Nec rationem reddere poſſunt, cur Deus non potuerit cauſis dare integras virtutes actiuas ex parte ipſarum neceſſarias permanentes, & per ſuas entitates, vel ſi potuit, & dedit, ad quid ſit noua virtus per ſe agendi neceſſaria. At ſi illa neceſſaria non eſt, nec ſola noua conditio ſine qua non eſſe poterit neceſſaria, vt oſtendi.

Difficillimum ergo mihi videtur in ea ſententia

39. Confirmatur ex S. Thoma.

40. Confirmatur ratione.

43.

Inde cōclu-
ditur vix
& 10. dubiū
explari
consequen-
ter possit.

tia ita expedire hæc duo dubia nonum, & deci-
mum, vt consequutio doctrinæ, in tota illa senten-
tia teneatur, faciliusque (vt ego opinor) id heret
ponendo illum concursum tanquam conditionem
puram, sine qua non, vt in principio huius con-
trouersie à multis illius partis defensoribus doce-
ri audiui, & interdum expertus sum. Quia verò
postea efficaciter ostensum est, talem conditionem
sine efficacia per se, esse voluntariè assertam, neque
explicari posse quid sit, aut cur sit necessaria, vt
paulò antea declarauimus, ideo posteriores illius præ-
uij concursus defensores in aliam sententiam de
causalitate per se inclinaverunt. Verumtamen ne
sufficiantiam virtutem causarum secundarum, vel
aliorum auxiliorum gratiæ negare videantur, co-
acti sunt simul dicere tale auxilium præuium esse
principium per se actionis causæ secundæ, & ipsi
causæ secundæ, inhaerens prius naturæ, quam ope-
retur, esseque necessarium ad actionem, & nihil-
ominus non esse actum primum, nec complemen-
tum eius, neque ad actum primum pertinere, sed
potius ad actum secundum, ac demum illi con-
cursui præui attribueret ea, quæ concursus simulta-
neus propria sunt. quæ omnia, iudicio meo, diffi-
cultatem, & obscuritatem doctrinæ, ne dicam et-
iam repugnantiam ostendunt, vt ex sequenti ca-
pite amplius difficultas patebit.

CAPVT XXXIV.

*Virum concursus præuius sit separabilis à simulta-
neo, seu ab actione causæ secundæ,
& e conuerso.*

Quæstio
præuius
sit & du-
ratione se-
parabilis ab
actione &
effectu cau-
sæ secundæ.

Opinio ne-
gans.

Aluarez.

Ledesma.

2.
Probat
ea opinio
multiplici
ratione.

D. Thom.

Quæstio hæc ex hypothesi procedit, sicut alias
quas de hoc concursu tractauimus, & duo alia
coninet dubia. Primum, & in ordine vndecimum
sit, an concursus iste præuius sit in re ipsa & dura-
tione separabilis ab actione, & effectu causæ se-
cundæ, vel, quod perinde est, à concursu simulta-
neo. quæ interrogatio non habet locum in illa sen-
tentia, si intelligatur ex natura rei tantum, seu de
potentia ordinaria Dei. Omnes enim eius asserto-
res pro cōperto habent non posse separari, quia talis
concurfus est auxilium naturæ suæ efficacis, id est,
efficacior faciens causam secundam operari, & pro-
pter alias rationes, quas nunc subiiciam. Intelligit-
ur ergo quæstio de potentia Dei absoluta. Et in
hoc etiam sensu dicti authores docent non posse
tale auxilium dari in re sine effectu, & actione cau-
sæ secundæ. Ita docet maximè de auxilio efficaci
diuinæ gratiæ Aluarez disp. 83. cum aliis quæ ibi
allegat: vnde cum ibidem doceat eadem propor-
tione loquendum esse de illo auxilio efficaci, quæ
de generali concursu præui, idem sine dubio de
isto sentit, vt satis etiam expressit disp. 19. conf. 3.
ration. 1. latius & expressius idem tradit Ledesma
dicta q. vnica art. 3. ad 7. & art. 13. ad 6. & sæpè alias.

Qui authores consequenter loquuntur: nam si
aliquando vel semel posset concursus præuius se-
parari à concomitante, posset manere in potentia
ad agendum, & consequenter iuxta illorum prin-
cipia indigeret alia præiua motione, & posset postea
de potentia in actum reduci, & sic haberet locum
processus in infinitum, & alia argumenta supra
facta. Ipsam autem separationem, seu repugnan-
tiam his rationibus suadent. Prima, quia impossi-
bile est causam secundam actu moueri à Deo, & ip-
sam non actu operari, ex D. Thoma 1. 2. q. 112. art. 3.
& 2. 2. q. 24. art. 11. Deus autem per concursum
præuium mouet causam secundam efficaciter ad

operandum, ergo impossibile est non operari; ergo
impossibile est non recipere simul tempore au-
xilium simultaneum. Secundò, quia ille concursus
præuius semper datur ex voluntate efficaci Dei,
quod causa secunda operetur; sed stante illa vo-
luntate Dei impossibile est non sequi effectum, ne-
mo est enim qui voluntati eius possit resistere, vt
dicitur Luther c. 3. Ergo. Tertiò, quia Deus est mo-
uens infinite virtutis; ergo si efficaciter mouet
causam secundam vt operetur, etiam infallibiliter
illa mouetur, & operatur: sed Deus efficaciter mo-
uet per illum concursum præuium; ergo. Quartò
non potest Deus velle dare concursum simulta-
neum sine operatione causæ secundæ; ergo neque
præuium. Probat consequentia, quia vterque est
verus concursus, vt ipsum nomen præ se fert, &
concurfus intelligi non potest sine alterius cursu.

Nihilominus aliqui etiam ex discipulis D. Tho-
mæ, vt Ledesma supra refert, dixerunt de potentia
absoluta posse præuiam motionem imprimi à Deo
causæ secundæ, & simul impediri ne sequatur actio
eiusdem causæ secundæ. quæ quidem sententia sup-
ra per se consideretur rationabiliter, videtur ha-
bere minorem de eorum consequutionem, ac ubi
inde ex vtriusque simul sumpta ostenditur concur-
sum illum præuium, vel superfluum esse, vel multa
repugnantia inuoluere. Probat ergo primò hæc
sententia absolute sumpta; quia concursus præ-
uius realiter distinguitur ab actione causæ secundæ,
& a concursu simultaneo, vt supra ostensum
est, & concursus præuius est prior natura, & inde-
pendens ab actione causæ secundæ, in his enim que
realiter distinguuntur non implicat prius separari
à posteriori à quo non pendet; ergo in præui non
repugnat, quæ iam motionem separari ab actione
causæ secundæ, seu concursu simultaneo.

Reliquè Ledesma negando maiorem, quia
species, cunctæ diuinitate inseparabiles sunt, vt ma-
teria a forma, & ratio a fundamento, totum a parti-
bus simultaneis, & actio vitalis à potentia vitali,
& dicere a verbo, nec autem exempla, & patrum
probabilia sunt, & multis non sunt similia. Ma-
teria autem naturaliter separari potest à qualibet
determinata forma, & præterea materia pendet in
suo esse a forma, & sub ea ratione est natura po-
terior. Hic autem concursus præuius est simpliciter
prior, & nullo modo pendens ab actione crea-
turæ, præterquam quod longè probabilius est de ab-
soluta potentia p. si. materiam sine vlla forma
conseruari. Relationem autem probabile non est,
realiter à fundamento distingui, vique tanquam
rem a re, & h quo modo distinguatur in re ipsa, sa-
tis est, quod fundamentum possit remanere sine
relatione, licet non conuertatur, quia fundamen-
tum est prius relatione, & independens ab illa,
non è conuerso. Nos autem in argumento solum
sumus, si prius posset manere sine posteriori, à
quo, & non pendet, & realiter distinguitur. Simi-
liter impossibile profecto est exemplum de toto,
& partibus simul sumptis, cum certissimum sit, &
non diuigi realiter, & à singulis essentialiter
pendere. De actione autem vitali nobis sufficit,
quod potentia vitalis potest manere actu, illa enim
est prior, & independens ab actione sua. Ultra hoc
etiam est probabilius entitatem ipsam actus vitalis
posse conseruari à Deo sine potentia vitali, etiam si
sub illo modo actionis vitalis non possit esse sine
influxu vitalis potentie, quia sub ea ratione ab ea
essentialiter pender, quod non repugnat principio
assumpto in discursu proposito. Denique in vici-
mo exemplo falsum est, dicere, & verbum distin-
gui realiter, quia solum distinguuntur sicut actus
& terminus. Non oportet ergo exemplis vel falsis,
vel